

X 186 2323

DISSERTATIUNCULA

DE

TEMPLO PACIS VESPASIANO,

Quâ

ILLUSTRISSIMOS COMITES AC DOMINOS,

Dn. HEINRICUM QUARTUM,

Dn. HEINRICUM UNDECIMUM,

JUNIORIS LINEÆ RUTHENOS, COMITES AC

DOMINOS A PLAVIA, DOMINOS IN GREIZA,

CRANNICHELDA, GERA, SCHLEIZA

ET LOBENSTEINIO,

DOMINOS GRATIOSISSIMOS,

NEC NON

PLURIMUM VENERANDOS

DNN. INSPECTORES,

OMNESQUE ALIOS VIROS HONO-

RATISSIMOS, QUI LITERIS FAVENT,

M. JOHANNES FRIDERICUS Köber/

Illustris Ruthenei Rector,

Ad

Actum Oratorio-Dramaticum,

eumque pro PACE, divinitus iterum concessâ,

Evcharisticum,

humillimè, observanter admodum, officiosè

perquam & humanissimè

INVITAT.

GERÆ,

Literis Müllerianis.

II h
832

39



Q. N.
431
12.





OMnium, qui per universum hujus terræ orbem vivunt, hominum animis impressum esse & tanquam naturâ insitum infixumq; quoddam Pacis studium; id verò dubitatione vix caret, & in ipsis lucidissimis lucidissimi Solis radiis perscriptum videtur. *Habemus naturalem quandam inter nos societatem, quam ferae quoq; inter se custodiunt:* ait præclare & tanquam ex tripode aurei oris Doctor. (a) Quod ex Ethnicis etiam saniores viderunt, qui universalem quandam inter omnes homines societatem ac amicitiam, ab ipsa natura statutam esse: homines ipso humanitatis intuitu impelli, non tantum, ne nocere aliis velint, sed ut prodesse student & auxilium ferre: utq; dum humani à se nihil alienum putant, lætis tristibusque hominum casibus, perinde afficiantur: quædam officia non tam hominibus, quàm humanitati tribuenda, definiunt. (b) Toto igitur, quod ajunt, cælo errat Thomas Hobbesius, Malmesburiensis Anglus, cujus Politicam patriæ suæ morbis exulcerandis, quàm mitigandis magis accommodatam, rectè & ex vero judicat Samuel Maresius, (c) Ille enim docere dicam an delirare veritus non est, (d) *conditionem hominum extra societatem civilem (quam conditionem appellare liceat statum nature) aliam non esse, quàm bellum omnium contra omnes, atq; in eo bello jus esse omnibus in omnia.* Qui error jampridem viro bono præter oculos expositus, & qua decet, ἀπεβεία refutatus est. (e) Quod verò occulta quadam vi amoris ad Pacem proni sint homines; id vel inde elucet juba meridiano clarius, quòd in Pacis gloriam & honorem alii coronas (f) olim nexuerint, alii aras (g) ei dedicaverint cum pulvinaribus, alii nummos (h) in ejusdem memoriam cudi fecerint, alii & festa (i) instituerint singulari cum solennitate. Inprimis Romani, rerum quondam Domini, quòd testatior esset factæ Pacis memoria, in more positum habebant, ut templum Jani clauderent. Quod à quibus & quoties factum sit, alibi exponitur eruditè ab Antiquitatum scriptoribus: ex quibus non-nemo, & ab Imperatore Constantino M. id observatum fuisse, ex Ammiano Marcel-

(a) Hom. XXXI. ad Rom. (b) Vid. Ulrici Obrechtii sponfor. Pacis c. I. §. II. (c) part. 2. Controv. contr. Tirin. p. 476. (d) præfat. ad Lect. Element. de Cive. (e) Vid. CL. Thomasi annot. ad Phil. Pract. p. 47. & Sam. Pufendorff. de Jur. Nat. & Gent. II, 2, 5. & seq. (f) V. Carol. Paschal. de Coron. l. VII. c. 4. p. 465. (g) Vid. C. Nepos in Timotheo c. 2. §. 2. & Plut. in Cimone. (h) V. Jac. Oisell. Thes. in tabb. Numism. LXXI. LXXII. & LXXIII. (i) Vid. Plin. in H. N. præfat. ad lib. XIV. ubi idèò pax festa dicitur.

cellino (k) prodit. (l) Neq; verò inauditum aut planè ignotum est inter eos, qui doctrinis instructiore gaudent animo, Romæ quondam & PACIS TEMPLUM satis augustum atq; magnificentum extitisse prope forum, & maximum & pulcherrimum & opulentissimum. (m) Et de hoc omnino lubet sedetque animo præfari quadam, de Pace, postliminiò reductâ divinitus, Agona εὐχαριστικὸν instituturo. Dissertatiuncula verò hæc tria quasi complectetur membra, ut primùm dicatur de Templi hujus ortu & quasi natalibus, deinde & de ejusdem statu & magnifico apparatu, tandem verò denique de interitu ac fine. Igitur, quod originem & cunabula attinet, illa refert Templum hoc ad Claudium Imperatorem, ita tamen, ut, ab hoc primùm inchoatum, à Vespasiano autem absolutum & perfectum (& quidem ex ruderibus Templi concordie, si Andreæ Scoto (*) credimus) commemoretur, non ultimæ cavæ scriptoribus. Ita quippe Suetonius: (n) *Fecit & nova opera, Templum Pacis Foro proximum: diviq; Claudii in Celio monte, cœptum quidem ab Agrippina, sed à Nerone propè funditus destructum.* De eodem templo Josephus, Judæorum Livius, ita: (o) *μὲν δὲ τὰς θέρμους, καὶ τὴν βεβαιωτάτην τῆς Ῥωμαίων ἡγεμονίας κατέσταν, Ουεσπασιανὸς ἔγνω τέμενος εἰρήνης κατασκευάσαι· παχὺ δὲ δὴ μάλα, καὶ πάσης ἀνθρωπίνης κρείττον ἰσχυροῦς ἐτετελείωτο.* h.e. *Post triumphos verò & Romani Imperii statum firmisimum, Vespasianus Paci templum edificare decrevit. Itaq; mirâ celeritate, & que hominum cogitationem superaret, effectum est.* Idem post duos hocce testatur diligentissimus naturæ mystes C. Plinius, (p) *qui, nonne, ait, inter magnifica opera templum Pacis Vespasiani Imperatoris Augusti, pulcherrimum operum, quod unquam?* Nullam hi posteriores mentioem Claudii faciunt: cum, qui colophonē operi addidit, laudis ad eam potius mereatur, quàm qui ædificare primitus cœpit. Nicephorus Callisti etiam meminit (q) ecclesie Pacis, à Pertinace, consulari viro, sed ipsos jam novem annos Episcopo, ad mare in loco, quem ficos nominabant, excitatæ, quam Pacem appellaverit, quem deinde locum Christiani perpulchris & continuis ædificiis in oppidi formam redegerint. Sed nihil hæc quidem ad nostram Andromachen. Illud verò à nostro instituto alienum non est, si quæramus curiosius paullò, quâ factum sit, ut non à priore alio sive Rege, sive Consule sive Imperatore, sed à Vespasiano demum hoc templum exædificatum legatur? An quia Belli, quàm Pacis studiosiores erant for-

(k) l. 2 c. 22. (l) Henr. Kipping. in Recensu Antiq. Rom. p. 202. (m) v. Jo. Rosin. Antiq. Rom. lib. 2. p. 381. (*) Part. sec. dell' Itin. d'Ital. p. 57. (n) in vita Vespas. c. 9. p. m. 393. (o) l. VII. de Bello Iud. c. 24. vel c. 27. secundum vers. Lat. Ruffini Aquilej. f. m. CV. (p) Hist. Nat. lib. XXXVI. cap. XV. p. m. 1542. (q) Hist. Eccles. l. VIII. c. 6. f. 364.

tissimi mortalium, Romani prisiores? Etenim, si Suetonio, locupletissimo Auctori, credimus, Augustus *Janum Quirinum, semel atque iterum à condita Urbe ante memoriam, suam clausum, in multo breviori temporis spatio, terra, marique pace parta, tertio clausit*: id quod in non exiguam laudem ac gloriam optimo Principi cedit. Etsi enim laudatissimus Imperator non ter, quod vulgò putant, Orosii auctoritate, quæ neminem adeo movere debet, sed duntaxat tertio seu tertiâ vice occlusit Janum: (s) id tamen laudi eidem ducitur meritò, quòd, cum Romulus perpetuò bellaverit, primum etiam bellum Punicum duraverit annis XXIV, Augustus, intra XII. annos, pace terraq; & mari constituta, Jani templum tertium clausit. Verùm ad Vespasianum, Judææ domitorem ac terrorem, ut redeamus, non displicet omninò conjectura Philippi Caroli, (t) Philologi quondam in Academiâ Noricâ celeberrimi, sed *Wassars*; qui arbitrat, Imperatorem hunc, Judæorum, ac Josephi in primis adulatione persuasum, ipsum illum se regem esse, qui ex Judæa proditurus, universo dominaretur orbi, (id quod de Messia, generis nostri Sospitatore dictum erat à Prophetâ) omnia pariter, quæ de illo prædicta erant, in se transulisse, aut accommodare studuisse. Cumque inter alia traderetur, eum & Pacis principem fore, Templum illud struxisse, cui & hanc fecerit inscriptionem, prout illa in ædibus Farnesianis Romæ legitur, teste vastissimorum Annalium Ecclesiasticorum conditore: (u)

PACI ÆTERNÆ

DOMVS

DEDIC. XV. KAL. DEC.

IMP. VESPASIANI L. ANNIO BASSO,

COS.

CÆSARIS AVG. C. CÆCINA PÆTO

LIBERORVMQ. EJVS

SACRVM

TRIB. SVC. JUNIOR.

Neque verò insolens fuisse, ut oracula, quæ de Christo in sacris literis perscripta, & tunc non inter Judæos tantum vulgata erant, sed ipsos quoque Romanos non nihil increbrescebant, ad Imperatores applicata sint: jam pridem præter alios, docuit doctissimus M. Zuerius Boxhornius, qui con-

(r) in vita Aug. c. 22. p. m. 78. (s) Vid. Henrichi Loriti Glareani annotationes ad I. cit. Suet. p. m. 16. imò ipse Livius, qui id docet perspicuè lib. I. c. 19. p. m. 16. (t) in Antiquit. Rom. l. 1. c. 8. p. m. 24. (u) Ad Ann. C. I. n. XIII. f. 59.

consuli potest pro Iubitu. (x) Hæc de Templi hujus *origo*: nunc & *status*, qualeque & quàm egregium id fuerit, considerandum venit. Nemo autem est, qui id dicere melius ac enarrare queat Herodianò, quem eorum, quæ commemorat, *αὐτήκοον καὶ αὐτόπτην* Henricus Stephanus (y) tradit. Unde eidem, quia ad fidem pleraque dixit, iudice Julio Capitolino, (z) non possumus non habere fidem. Ipse igitur τὸ τῆς Εἰρήνης τέμενος μέγιστον & κάλλιστον vocat (aa) τῶν ἐν τῇ πόλει ἔργων, πλεσιώτατον ἢ πάντων, ἱερῶν δὲ ἀσφάλειαν, ἀναθήμασι κεκοσμημένων χρυσῶ τε καὶ ἀργύρεσσι, h. e. opus cunctorum tota urbe maximum atque pulcherrimum: idem templorum omnium opulentissimum, egregieq; munitum, multoq; ornatum auro & argento. Cui consonat Plinii, quod paullo antè adductum fuit, encomium. Alii (*) vocant opus molis amplitudine, labore, artificio, divitiarumq; cumulo totius Urbis augustissimum. Italus scriptor, M. Bernhardus Gamuccius, qui ichnographiam Templi pacis exhibet (bb) vocat (cc) celebre & famosum Templum. Idem pingit & rudus deforme, quale suo vidit ævo & memoria: ex quo satis apparet, quàm amplum augustumque, quamque præclarum ac dignitatis plenum fuerit & omninò tale, prout commendatum ab Herodiano legimus. Qui idem addit, quod universi fermè suas illuc divitias, quasi in thesaurum, congerere consueverint; quò etiam factum, ut per noctem debacchatus ignis, quo præstantissimum Templum conflagrasse, post paullo dicitur, multos ex opulentis egenos reddiderit. Videlicet, ut ait Scholiastes Thucydidis, ἐθὺς τοῖς παλαιοῖς, τὰ κοινὰ χρήματα ἐν τοῖς ἱεροῖς ταμιεύειν, moris fuit antiquis, pecunias publicas in fanis & templis recondere ac reponere. Id quod pro more suo, hoc est, eruditè juxta & prolixè it ostensum Michaël Piccartus, Norici quondam sui, tantumne? imò & orbis eruditi decus. (dd) Sed ad decus summum ac singulare ornamentum Templi nostri, è parvo diverticulo, revertendum. Videlicet (ut Josephus porrò refert) (ee) magna divitiarum largitate usus Vespasianus, insuper perfectis id picture & figmentorum operibus exornavit. Omnia namque in illud fanum collecta ac disposita sunt, quorum visendorum studio per totum orbem, qui ante nos fuerunt, vagabantur, quomodo aliud apud alios situm esset, videre cupientes. Quin &, quæ ex templo Hierosolymitano secum abstulerat, instrumenta victoriæ quippe, ut solet usu venire, elatus, hoc recondidisse loco; idem testatur, lege Judæorum & velis penetralium purpureis modò exceptis, quæ in Palatio adservari voluit. Ut adeò Patrum doctissimi

A 3

MUS

(x) In Hist. univers. p. 27. & 43. in primis. (y) in sua edit. (z) in Clodio Albino c. 13. (aa) lib. I. c. 14. p. 45. ed. Bœcl. (*) Jac. Laur. in antiq. Urb. splend. f. 38. (bb) l. r. antiquit. urbis Romæ p. m. 39. (cc) p. 40. (dd) Observ. Historico. Polit. decad. XV. c. 4, p. 153. seq. (ee) l. c.

rui. Nam cum neque imbres ulli neque nubes, tantumque exiguus terra-
 motus, antecessisset, seu nocturni casu fulminis, sive igni aliquo in ipso terra-
 rum motu velut extrito, totum de improvise Pacis templum incendio con-
 sumtum est. Quomodo spatium latius incendium, plurima alia & tem-
 pla & ædificia tunc corripuerit corruperitque: idem prolixius enarrat.
 Addit quoque, totam rem DIs imputatam fuisse eorumque iræ, in scelera
 Commodi justissime flagrantis: imò ex Templi Pacis interitu, infelici
 tanquam omine, insecuta deinceps bella, multos præfagiisse. Fulmine
 ictum, Procopius Cæsariensis auctor est. (uu) Sed Herodiani, quippe
 quò vivò videnteq! forsan incendium contigit, prævalet testimonium.
 Rudera jam suo tempore admiratus legitur Constantinus M. apud Am-
 mianum; (xx) restitisse, quò tempore Italiam tenebat Atalarichus Theu-
 derichi filià genitus, Procopius memorat; (yy) restare adhuc, & vete-
 rem suam magnificentiam non nihil prodere, & testari possunt, qui vidè-
 re, & qui de Roma hodiernâ scripsere, inter quos præter jam dictos, Ga-
 muccium, Scotum, Laurum, & laudem meretur ac fidem Jo. Henricus à
 Pflaumern Jctus, in Mercurio, quem edidit, Italico. (zz) Acquiescerem
 hîc, nisi quorundam coarguendus error foret, qui somniant beatissimâ
 illâ nocte, quâ Christus Bethlehemi natus fuit in salutem gentis huma-
 næ, corruisse Templum illud Pacis Romæ, interq; rudera hos comparu-
 isse versus: (aaa)

*Virginitas, partus, discordes tempore longo,
 Virginis in gremio fœdera pacis habent.*

Etenim (ut scripsit Orosius (bbb) Romanos, cum quæfivissent ex oracu-
 lo, quamdiu Templum Pacis esset duraturum, hoc responsi tulisse: usq;
 dum Virgo pareret. Cardinalis Cæsar Baronius, primùm isthæc narra-
 ta ait, (ccc) in homiliâ quadam incerti auctoris, titulo Petri Damiani
 prænotatâ. Cujus verba hæc adducit: *Templum Romæ, quod vocabatur
 Aeternum, corruit, omnibus impensis & Urbis & Orbis consummatum.
 Cum enim Romani in victoriosa antiquitatis memoriam templum singulari
 solemate facere decrevissent, ab omni illa deorum, imò demoniorum multi-
 tudine quæsierunt, usquequò durare posset tam excellentis operis operosa con-
 structio. Responsum est: donec virgo pareret. Illi ad impossibilitatem ora-
 culum retorquentes, Templum Aeternum, solennem illam machinam vocâ-
 runt. Nocte autem istâ, cum de virginali thalamo virgineus flos Mariae
 egressus est, ita cecidit & confractum est illud murale & columnarum opus,*
 ut

(uu) l. IV. Histor. Gothicæ p. 473. ed. H. Grotii. (xx) l. 16. cit. Baron, annal. f. 59. n. 13.
 (yy) l. c. (zz) p. 283. (aaa) v. Chr. Matthiæ in Theat. Hist. p. 402. (bbb) sunt ver-
 ba ejusd. Matth. l. c. (ccc) l. c. f. 58. n. 11.

ut vix apparerent vestigia ruinarum. Verum enim verò commentum hoc esse vanum & erroneum, ipse fatetur Baronius & coarguit, (ddd) aliàs nimis quàm credulus. Rectè idem, quia nondum tempore Augusti imperantis, aut Christi nascentis extitit Templum Pacis, nec corrũere tum potuisse, argumentatur. Neque esse, idem pergit, quod quidam Clementis Alexandrini, auctoritate moti, dicant, à Numa jam olim, sub incunabula Reipubl. Romanæ, erectum fuisse templum Fidei & Pacis. Neque enim Templi istius ulla *penitus* (sunt verba Cardinalis) *quovis seculò à Gentilibus scriptoribus facta mentio reperitur.* Et si quis dicat, aliam Pacis ædem nocte Christi natali collapsam, aliam postea à Vespasiano conditam esse: ei respondemus cum Pflaumerio: (eee) *volvās licet ac revolvās omnium Romanorum scripta, non nisi unum Pacis templum repereris, quod imperator Vespasianus, divinitatem affectans, titulumque veri Dei, quem Principem Pacis esse à Judæis acceperat, superbissimè construxit.* Tres hodiernum (idem a t) operosi, at malè integri fornices supersunt elegantissimæ incrustationis, quæ obtekti erant, notas retinentes, cum vastissimâ striatâ columnâ, cujus peripheria, ut quidem Gamuccius metitur, triginta palmorum est, cetera Vulcano cessere. Ut ita falsum sit, quod Homileticus Baronianus asserere veritus non fuit, *vix apparere vestigia ruinarum.* Sed valeat Templum Pacis Romanum, & inter cineres suum d' ploret fatum: Sufficit nobis, superesse Principem Pacis O. M. cujus arbitrio ut omnia bona constant, ita & Pacem fieri credimus & arbitramur. Hic, cum Tempestas admodum obscena Patriæ imminere videretur tum ab occasu, tum & septentrione, & in finibus Imperii jam regiones non paucas infestaret ac scedaret, piè à nobis invocatus aliquot annos fuit, ut parceret terris, à tricennali bello vix respirantibus, pacemque conservaret, turbatamque in integrum restitueret. Audiit DEUS longè mitissimus miserorum ejulatus, oppressorum clamores, gementium preces, imò exaudiit benignè, pacemque desideratissimam non Germaniæ duntaxat, sed & reliquis, bello dissidentibus Regibus, ac Provinciis, superiori anno postliminiò reduxit. Solebant Romani quondam, quò die Pacem cum hoste faciebant, DIstantum sacra persolvere, & vota, ab omni opere omninò abstinentes. Factum id est vero omnipotentique DEO, plerisque omnibus in locis Germaniæ. Quid mense Novembri, anno jam

B

piæ

(ddd) l. c. p. 59. n. 12. (eee) l. c. p. 284.

præterito, in cœtu fidelium, & Dominicâ quidem ultimâ Trinitatis, præstitum in Dynastiis Ruthenicis utriusque Lineæ fit; id verò nondum, opinor, cineribus oblivionis involutum est. Quare nefas omnino foret, nisi Ecclesiæ æmulum Gymnasium pietatis documentum aliquod daret, & *χαριστήρια* pro Pace divinitus concessâ, institueret. Atque idcirco velut d. IV. Kal. Septembr. Anno τῆς ἐνανθρωπήσεως τῶ λόγῳ ∞ IOC LXXVII. *Actum* pro Pace *votivum* produximus publicè: ita nunc, Pace cœlitus indultâ, quidni *eucharisticum* instituamus? Itaque id, quod pietas nostra & in DEUM gratitudo nobis imponit, cras, σὺν Θεῷ facturi sumus, & Actu quidem iterum Oratorio-Dramatico. Cujus totum σύστημα, oculis & animis omnium hac publicâ chartâ exhibemus. Igitur ACTU PRIMO, post *Prologum* (Wolff. Paulum Steinheuser / Plav. Var.) & *Argumentatorem I.* (Christoph. Heinr. Gentsch / Voigsb. Var.) prodibit *Scena I. Mercurius* (Albin. Auerich / Chemnic. Misn.) narraturus de Pace inter Hispanos Hollandosque, nec non Regem Galliæ factâ: *Scenâ verò II. Polemarchus miles* (Joh. Georg. Senda / Schleiz. Var.) cum in genere omnem, tum & hanc vituperabit Pacem: *Epidicus*, ut ita dicam, *Statista*, (Henr. Joh. Köber / Ger.) *invektivam* instituet in Hollandos, quod jus fœderum non observarint: quibus utrisque respondebit *Lysimachus, Senator Hollandus*: (Joh. Grüner / Geran.) & cum *Sophonisus, Politicus Suecus* (Joh. August. Thiel / Cygnea - Misn.) Hollandos insimulet, ex avaritiâ ipsos fecisse Pacem, hunc itidem confutabit. Ex hoc Actu I. brevissima elicient *πορβήματα* moralia, I. Adam Erdman à Gōßnitz / Eqv. Var. II. Christophor. Heinr. à Lohma / Eq. Var. III. Henr. Ehrensfried à Biesenroth / Eq. Var. Deinde ACTU SECUNDO, cuius *Argumentator* erit Gottlob August. Reibold / Eqv. Var. *Scena I. Fama* (Christian. Robitzsch / Ger.) de Pace, Germanis cum Rege Galliarum inita, enarrabit. *Scenâ II. Taleporus, exul Alsatus* (Joh. Piffhändel / Neukirch. Var.) lamentabundus exoptabit Pacem: querulum *Tharsaleus, Rheni accola* (Gotthard Ehrensfried Krüger / Saalburg. Var.) solabitur: *Polypistus* tandem, *civis Palatinus* (Joh. Justin. Seidemann / Chemn. Misn.) spem factam de Pace confirmabit. Quod dum fit, *Scena III. ipsa illis Pax* (Joh. Henr. Posner / Saalb. Var.) apparebit, & post λόγον, quem faciet, ἐπιβατήριον, miseros

ad

ad amplexus admittet. Hinc Scena IV. *Agræus, rusticus à Mar-*
shia (Martin. Eger / Silentio - March.) cum irâ detestabitur pacem,
excluso Electore ac Domino suo, factam: quod idem Imperatori
exprobrabit *Stratophanes, miles Brandenburgicus* (Joh. Gabr. Trös-
gel / Hohenl. Var.) cum quibus tandem *Irenophilus, Anticus Cesare-*
anus (Georg. Ehrenfried à Naundorff / Eqv. Misn.) ex meritò
expostulabit. Scenâ tandem V. *Mars* (Innocentius Pflug / Eq.
Misn.) cum indignatione quadam testabitur dolorem, ex Pace factâ
conceptum, confidet tamen, Sereniss. Elect. Brand. à partibus suis
porrò staturum; sed cum *Nicobulum, præconem Brandenb.* (Samuel.
Nathheide / Francofurt. March.) proclamare & hujus Pacem audie-
rit, irâ plenus denique abibit minitabundus. Ex hoc Actu ite-
rum tria prolicient *ποροματα* moralia, I. Georg. Carol. Gentsch
II. Fridr. Wilhelm. Gentsch / Voigtsberga-Var. III. Adam Chri-
stophor. Dreher / Graiza-Var. Tandem denique ACTU TER-
TIO, post *Argumentatorem* (Jo. Christoph. Wolff / Ger.) Scena I,
Iris, Deorum apud Poëtas nuncia (Joh. Mich. Ranfft / Mæschliz.
Var.) de Pace inter Reges Septentrionales quoque factâ comme-
morabit. Hinc Scen. II. *Europa* (Christian. Heinr. ab Osterhaus-
sen / Eq. Misn.) lætitiâ testabitur de Pace universali sibi met
redditâ. Eidem Scena III. apparebit *Pronœa seu Providentia divi-*
na (Ernest. Heinr. à Luckowien / Eq. Misn.) & postea *Pseudopoli-*
ticus à deo (Joh. Nicol. Colerus, Weidena - Palatinus) quorum
hic non DEO, sed Regi Galliæ pacificationem tribuet arroganter,
illa verò DEO præcipuè, Pacis summo Principi, piè imputan-
dam docebit. Scena IV. *Pax*, à duobus Angelis (Martin. Bös-
wetter / Adorf. Var. & Johann. Heinr. Volckmar / Saalb. Var.)
producta, Pacem Europæ gratulabitur: alter verò Angelorum in
laudem Pacis sermonem instituet, alter, ut Pacis suavissimis frui
queat fructibus, Europam à peccatis dehortabitur: quò factò,
ipsa Europa de Pace sibi reddita gratulabitur, in amplexus ejus
ruitura, & meliorem vitam promittet. Scena V. *Suspicio* (Joh.
Frider. Eckart / Geran.) Pacis hujus diuturnitatem in dubium
vocabit, cui verò *Spes* (Joh. Christian. Hess / Pegavia Misnic.)
respondebit. Scena VI. *Venus* (Joh. Joach. von der Heyde / Eq.
Var.) gaudebit, Pacem factam connubiis tot Principum confir-
mari. Tandem Scena VII. *Pietas* (Wolff. Frid. à Noda / Pœfnecc.
Thur.)

Thur.) gratias DEO pro concessa pace aget; quod idem facient
admoniti status Hierarchici, & *Ecclesia* quidem (Christophor.
Schmid / Ger.) Psalm. CXXII carmine Ebræo, *Politia* (Caspar.
Christ. à Pretlach / Eq Westphal) Pf. CXXVI, Latino, *Oeconomia*
verò (Jo. Christian Naser / Ger.) Græco Pf. CXLVII. Ὁδὸν Ἀφρασίως
illustraturæ. Ex eodem hoc Actu III. Gustavus Bonacker / Op-
purgo-Thur. Erasmus Herbst / Christian. Friedrich Köber / Ob-
wald. Leopold / & Christoph. German / Gerani, quæ elici πορο-
ματικῶς possunt, paucissimis exponent. Colophonem Latino
Actui tandem addet *Epilogus* (Christoph. Gabriel. Oberländer /
Eq, Franc.) gratias Auditorio honoratissimo acturus. Singulis
tamen Actibus Latinis singuli inferentur Germani, quorum sum-
mam ut exponamus, opus non esse arbitramur. Cæterum IL-
LUSTRISSIMOS COMITES AC DOMINOS, DN. HEIN-
RICUM IV. ET DN. HEINRICUM XI, JUNIORIS LINEÆ
RUTHENOS, COMITES AC DOMINOS A PLAVIA, DO-
MINOS IN Greiz / Crannichfeld / Gera / Schleiz ET Lo-
benstein / DOMINOS GRATIOSISSIMOS, quâ decet, humi-
litate rogamus, ut Actui huic clementer interesse ne dedignentur.
Quod & à PLURIMUM VENERANDIS DNN. INSPECTO-
RIBUS, OMNIUMQUE ORDINUM ERUDITISSIMIS VI-
RIS, observanter admodum, officiosissimè ac peramanter peti-
mus: polliciti, nos omnem moturos lapidem, ut ne ingrati, pro
benevolentia, studio & amore in Musas nostras, unquam vi-
deamur. P. P. Geræ d. XXVII. Januar. Anni recens inchoati
∞ Ioc LXXX.





dam inter no
 tanquam ex
 ores viderur
 tem ac amic
 intuitu imp
 ant & auxili
 tristibus que
 tam homin
 quod ajunt
 cujus Politi
 gis accomm
 nim docere
 extra societ
 re) aliam n
 se omnibus
 positus, &
 quadam vi
 re meridia
 olim nexu
 mos (h) in
 singulari c
 quò testati
 templum
 ponitur er
 ab Impera

(a) Hom. 2. Cor
 CL. I
 II, 25
 Nepo
 Num
 XIV.



us terræ orbem
 se & tanquam natu-
 radium ; id verò du-
 imis lucidissimi So-
 nus naturalem quan-
 diunt: ait præclarè &
 Ethnicis etiam sani-
 es homines societa-
 nes ipso humanitatis
 ed ut prodesse stude-
 ienum putant, lætis
 quædam officia non
 iunt. (b) Toto igitur,
 esburiensis Anglus,
 uam mitigandis ma-
 Marefius, (c) Ille e-
 onditionem hominum
 re liceat statum natu-
 s, atq; in eo bello jus es-
 no præter oculos ex-
) Quod verò occulta
 vel inde elucet juba-
 orem alii coronas (f)
 alvinaribus, alii num-
 z festa (i) instituerint
 quondam Domini,
 ositum habebant, ut
 ies factum sit, alibi ex-
 quibus non-nemo, &
 e, ex Ammiano Mar-
 cel-

r. Pacis c. I. §. II. (c) part.
 lement. de Cive. (e) Vid.
 ndorff. de Jur. Nat & Gent.
 c. 4. p. 465. (g) Vid. C.
 Jac. Oisell. Thes. in tabb.
 in H. N. præfat. ad lib.

